





DISPUTATIO  
DE EXCEPTIONIBUS:

Quam,  
*Auxiliante DEO,* 1613, 6.  
In celeberrima Argentoratensium  
Academia,


*Preside*

CLARISSIMO ET CON-  
SULTISSIMO VIRO, Dn. CASPARO  
BITSCHIO, J.U.D. ET PROFESSORE  
celeberrimo, Academię p.t. Visitatore & Syn-  
dico dignissimo, præceptore & promo-  
tore suo perpetua obser-  
vantia colendo:

*Publici exercitii causa proponit,*

Mense Januario,

M. GEORGIUS-DAVID LOCAMERUS  
Landaviensis.



ARGENTORATI,  
Typis JOHANNIS CAROLI.

*Anno M. DC. XIII.*

*M. Bräulovis.*

Amplissimis Prudentissimisque

Viris,

INCLYTÆ CIVITATIS IMPERIALIS LANDAVIENSIS PRÆTORI,

\* Mareschallis, Consulibus, Scabinis, ac Senatoribus, Dominis ac Patronis suis omni animi submissione observandis:

ивгдѣтєв.

**H**ominem natura esse animal civile, ad societatem conservandam aptum, Patres Conscripti, vetus Sapientum est placitum, & diuturno jam usu honoraria quasi facta sententia. Et Naturam proinde, vivendi magistram optimam, sequi videntur illi, qui eò curas cogitationesq; suas impendunt, ut hanc sibi facultatem insitam, per doctrinas salubres & præcepta rerum ad politiam necessariam varia, usum præterea atq; exercitationem prudentem foveant, confirmant, perficiant. Cujusmodi doctrinas atq; præcepta, Philosophia potissimum practica, & rerum illa divinarum atq; humanarum notitia justæ & injustæ scientia jurisprudentia supeditat; multorum provida morum & urbium inspectio, & recepta fori contentio conciliat. Unde mihi non immeritò gaudeo, quoties parentis mei p. m. recordor, qui isthac mihi inculcavit sæpius, ne scil. mihi saltem vivere musisq; meis canere discerem, sed apprehenderem ea, quibus in luce aliquando versari, & gratum me pro incolatu civem reip. exhibere possim. Eam etiam ad rem media monstravit idonea, dum me puerum adhuc in Grammaticis ipse instituit, jactis deinde primis fundamentis ante octennium fere ad florentissimam hanc Academiam, ceu mercatum bonarum artium atq; disciplinarum, majoris studij causa oblegavit, In cujus etiam classibus quæ atque

supe-

superioribus, quanta ingenij mei passa est tenuitas, ita sum  
 versatus, ut dimissus inde ad scholas publicas, non inutiliter  
 neq; infeliciter, stadia etiam aliqua in Philoſophia campo confice-  
 re potuerim. Inde ante triennium ad jurisprudentia studium  
 animū applicui, quod hucusq; quantū inter occupationes alias  
 quas mihi vita mea creavit conditio potui, excolui. Etsi verò,  
 quae hujus est studij amplitudo & difficultas, ab optato ejus fru-  
 ctu absim adhuc longissimè: non tamen abs re me facturum pu-  
 tavi, si jam principis juris hac ex Academia reportandis con-  
 tentus, ad peregrinationem aliquam procederem, in eaq; ea  
 quae mihi desunt adicerem: ne aliàs ad forum tardius, vel ad  
 hanc nunquam, pervenirem. Constitui itaq; D.E.O. votis meis  
 annuente, proximo vere in Galliam primò, certas ob causas,  
 excurrere: indeq; sicubi visum fuerit, alias etiam nonnullas  
 regiones adire. Quod ipsum tamen antequam facerem, spe-  
 cimen aliquod qualiscunque mei in legum cognitione pro-  
 fectus edere volui: ad disputandum selectà hac de exceptio-  
 nibus materia longè utilissima, adeo verò ampla, ut vix ullus  
 reperiatur in jure titulus, ubi non agatur de Exceptionibus. Et  
 volui ideo, ut partim hoc in argumento ulterius quid addisce-  
 rem, partim obsequium & amorem erga Academiam, ejus-  
 demq; Professores Praeceptores meos observandos, testarer: par-  
 tim deniq; Vobis, Viri Amplissimi, aliisq; bonis meisq; amantibus,  
 vite hæctenus transacta rationem redderem. Quare verò  
 sub expresso nomine vestro inclyto, disputationem hanc lucem  
 aspicere voluerim, causa est in promptu. Manet enim alta eaq;  
 gratissima apud me mente repositum, quàm prona propensaq;  
 voluntate, non modò parentes quondam meos complexi sitis,  
 domicilio iis in urbe vestra concessa conditione ea, qua haud  
 scio an alios multos habueritis: sed me etiam cum nostra fami-  
 lia reliquis complectamini adhuc quotidie. Quae sanè ejusmo-  
 di sunt, ut nisi indicia tandem aliqua mea erga vos gratitudi-

A 2 nis



671  
nis praeberem, ingratus procul dubio parviq; illa faciens videri possem. Hoc itaq; qualicunq; munusculo chartaceo, meam erga vos gratitudinem & observantiam declarandam putavi, cum praesertim aliis me mediis destitutum viderem. Quod ut animis serenis atq; faventibus accipiatis, hinc de animi mei affectu conjecturam faciatis, me deniq; & studia mea de meliori nota in posterum quoq; commendat & habeatis, ea quae par est animi submissione ac observantia rogo. Quod reliquum est Deum Opt. Max. oro, ut quemadmodum haecenus, ita hoc etiam novo anno (cujus vobis felix auspiciis, felicioris progressum, exitum felicissimum, ex animo precor.) multisq; sequentibus aliis, gubernationi vestrae rebusq; aliis omnibus benedicere dignetur. Valet. Perscr. Argentorati: ipso festo Circumcisionis DOMINI, anni incipientis 1613.

Amplitud. Vestris

Addictissimus,

M. Georgius-David  
Locamerus.



**A**lexandrum illum Magnum, in audiendis accusationibus, alteram obstruxisse aurem accepimus, ut eam puram absenti reservaret. Dignum certe exemplum, quod omnes iudices imitando effingant in eo, ne indicta causa, parteque inaudita altera, quenquam condemnent. Ecquis enim innocens esse poterit, si accusare sufficiat? Nec sacratissimæ leges Actoribus modò tela parant, quibus injuriosos petant: sed Reis etiam clypeos subministrant, quibus injuria lite pulsati ictus aliorum excipiant & avertant. Quibus in Exceptionibus quanta requiratur justitiæ sacerdotum prudentia atque dexteritas, nemo facile est qui non intelligat. Me sanè materiæ hujus dignitas movit, ut de ea potissimum themata quædam proponerem, ad eorumque examen placidum, vos, qui Justiniani mecum castra sequimini, amicè invitarem.

1. Principiò distinguendum videtur Exceptionis vocabulum: quod, ut aliàs, ita in hac etiam defensionum judicialium materia est *ὁμῖον*.

2. Sumitur enim interdum in genere: ita ut complectatur etiam replicationem & sequentes allegationum formas, §. 3. *Inst. de Replicat.* & propterea tanquam genus replicationis ponitur, l. 2. §. 1. l. 22. §. 1. ff. de Except. quemadmodum & pro Replicatione usurpatur, l. 7. §. 11. ff. de pact. l. 9. §. 3. vers. Et Pomponius. ibi, & exceptionem interdum. ff. quod met. ca. l. 9. §. 4. in fin. ibi, præterea exceptio ista. ff. de jurejur. l. 32. §. 1. ff. de cond. ind. l. 15. pr. ibi, nec enim exceptio doli mali. ff. de leg. prest. Notat in prælect. ad pr. *Inst. h. t. Clariss. & Consultiss. Dn. Doct. & præcept. Mejerus: cui & alia hoc in argumento accepta refero.*

3. Interdum verò accipitur in specie pro ea allegatione, qua reus actionem actoris repellit. tit. *Inst. de Except. & th. seqq.*

4. Definitur Exceptio Exclusio quædam, quæ opponi cu-  
A 3 jusq;

781  
jusque rei actioni solet ad excludendum id quod in intentionem condemnationemve est deductum. *l. 2. pr. ff. h. t.*

5. Vel, Conditio, quæ modò eximit reum damnationi, modò minuit damnationem. *l. 22. pr. ff. eod.*

6. Ubi hæc duo annotanda videntur: Primum, actionis verbo non contineri exceptionem, *l. 8. ff. de V. S. utcunque reus, quod probationes attinet, agere, actor esse, & instructus venire ad agendum dicatur, l. 1. ff. h. t. l. 19. ff. de probat. l. 1. pr. ff. de edendo. l. 1. C. de jur. & fa. ign.* Nec enim omnia quæ Conjugatorum ratione dici possent, etiam usus approbavit. Sicut etiam errare atque fugere jumentum potest, nec tamen erronem aut fugitivum esse, agi potest: ut Labeonem scripsisse testatur Pomponius, *in l. 64. §. ult. ff. de edil. edict.* & malè illi qui sic ratiocinantur, Nuptiæ contrahuntur, *pr. Inst. de Nupt.* Ergo sunt contractus. Impingunt enim in juris axioma, *l. 9. §. 2. ff. de stat. lib.*

7. Deinde, quod is demum verè & propriè dicatur excipere, qui actionem stricto quidem jure efficacem esse non negat: iniquam verò eam adversus sese, contendit. *arg. §. 1. & seqq. Inst. h. t.* ob rationem aliquam ex factò magis quàm jure desumptam. *§. 3. Inst. de Replie.*

8. Quod si enim actio jure civili non subsistat, reus non per exceptionem, sed ipso jure, dicitur tutus. *l. 1. §. 7. ff. quar. rer. act. non dat. fac. l. 8. §. 3. ff. de fidejus. & mand.*

9. Non sunt igitur veræ, & propriè atq; *συνωνυμους* dictæ exceptiones, allegationes illæ, quas Dd. vulgò Exceptiones intentionis vocant: quibus reus negat se actione teneri, *l. 3. C. de transact. sive intentionem actoris se non tenere dicit. l. 23. C. eod. tit. de quib. vid. i. th. 104. & seqq.*

10. Exceptionum porrò aliæ sunt civiles, quæ ex legibus iisque quæ vicem legis obtinent substantiam capiunt: aliæ verò sunt Prætorix, quæ substantiam capiunt ex jurisdictione seu edicto prætoris. *§. 7. Inst. h. t.*

11. Ex legibus descendere videntur exceptiones ex, quibus aliquid contra leges factum dicitur. *l. 3 ff. h. t.* item exceptio patii, ijs in casibus, quibus lex pacisci permisit, *l. 6. 7. §. 14. ff. de pact. l. 17. §. 6. ff. de injur.*

Legis

12. Legis vim obtinent Plebiscita: cujusmodi est lex Falcidia; unde exceptio contra legatarium plus quam per legem Falcidiam liceat perentem: & SCta: unde exceptio SC. Vellejani, *t. t. ff. & C. ad SC. Vellej.* item exceptio SC. Macedoniani, *t. t. ff. & C. de SC. Maced.* item exceptio Trebelliani, *ut appellatur l. 28. §. 1. ff. de judic. l. 1. §. 8. ff. quand. de pec. act. & Constitutiones: unde exceptio divisionis. §. 4. Inst. de fidejus. l. 26. ff. eod.*

13. Ex Prætoris jurisdictione proveniunt Exceptio metus, doli, *l. 1. §. 1. ff. de dol. except. pacti l. 7. §. 7. ff. de pact. & alia. §. 1. & 4. seqq. Inst. h. t. & c.*

14. Præterea, quædam cohærent personæ: quædam verò rei, *l. 7. ff. h. t.*

15. Personæ cohærent, quibus personæ conditio locum facit: rei verò, quas ipsum actionis genus desiderat. *arg. l. 68. ff. de R. I.*

16. Prioris generis sunt exceptiones parentis, patroni, mariti, donatoris, vel socii, de eo quod facere non possunt: *d. l. 7. pr. ff. h. t. l. 16. cum seqq. ff. de re jud. posterioris, exceptiones rei judicata: doli: jurisjurandi: SC. Vellejani; Macedoniani: & alia. d. l. 7. §. 1. ff. h. t.*

17. Deniq; alia sunt perpetua & peremptoria; alia verò temporales & dilatoria *§. 8. Inst. h. t. l. 2. §. ult. l. 3. ff. eod.*

18. PERPETUÆ ET PEREMPTORIÆ exceptiones sunt, quæ semper obstant agentibus & rem de qua agitur perimunt. *§. 9. Inst. h. t.*

19. Vel, quibus quis prorsus litem inficiatur, & quæ semper locum habent, nec evitari possunt. *d. l. 2. §. ult. d. l. 3. ff. h. t.*

20. Hujusmodi est EXCEPTIO DOLI MALI: *d. §. 9. Inst. h. t. l. 5. §. ult. ff. de dol. except. ubi & ratio, communis tamen alijs quoq; peremptorijs exceptionibus, adjungitur.*

21. Est autem hæc exceptio duplex: una specialis, quæ opponitur dolo, vel in ipso negotio, sive ex proposito actoris, sive re ipsa intervenienti; *l. 36. ff. de V. O. vel post contractum commissio. l. 6. ff. de dol. except.*

22. Altera generalis, quæ ex omnibus in factum exceptionibus

nibus oritur . l. 2. §. 5. ff. de dol. except. quia sufficit quod actor dolose petat, sciens petitum quaq; exceptione elidi posse, etiamsi inter initia nihil dolo fecerit. d. l. 2. §. 5. l. 12. ff. de dol. exc.

23. Sic regulariter doli exceptione repellitur, qui petit id, quod ei, à quo petit, redditurus est, l. 8. pr. ff. de dol. exc. l. 173. §. ult. ff. de R. J.

24. Sic per doli exceptionem, possessor sumptus in rem factos, æquitatis ratione retinet, id quod certis cum distinctionibus, l. 36. §. ult. cum ll. seqq. l. 37. cum seq. ff. de R. V. l. 5. C. cod. accipi velim.

25. Hæc porrò Exceptio ratione Rei conventi in rem est: ratione verò Actoris in personam . l. 2. §. 1. & 2. ff. de dol. except.

26. Ita tamen ut aliquando adversus dolosum non detur, ut parentem, patronum, alienamvé personam cui reverentia debetur: sed in factum excipiendum sit. l. 4. §. 16. ff. d. t.

27. Aliquando etiam tertio noceat: in quo specialem legum traditionem sequi tutius erit: nisi fortè brevitatis & memoriæ causa, ex d. l. 4. ita quis definiendum putet: quod,

28. Si dolus commissus sit in ipsa obligatione & actionis acquisitione, tum non modò ipsi contrahenti & actionem primò acquirenti opponatur doli exceptio, sed alii etiam cui ejusmodi actio acquiritur. d. l. 4. §. 24. 25. 27.

29. Sin verò ab eo à quo tanquam auctore rem habemus, dolus dependeat, tum inspiciatur, utrùm habeamus ex causa lucrativa, an verò ex causa onerosa: ut priori casu nobis noceat exceptio: d. l. 4. §. 29. posteriori ea tantùm obsit, quæ rei ipsi cohæret, si accessione auctoris utamur: d. l. 4. §. 27. non etiam ea quæ ex delicto actoris oritur, d. l. 4. §. 27. nisi fraudis illius & ipsi simus participes. d. l. 4. §. 31.

30. Hujus etiam generis est EXCEPTIO METUS. d. §. 9. Inst. h. t. l. 1. pr. ff. quod met. ca.

31. Quæ datur ei qui metu coactus quid promisit, vel alio quocunque modo se obligavit. l. 4. §. penult. & ult. ff. de dol. except. l. 9. C. de contr. stipul. l. 5. C. de inutil. stip. l. 7. C. de his que met. ca.

32. Et habet hæc exceptio pleraque cum præcedenti communia: præterquam quod in rem scripta sit, cum illa personam  
ejus

ejus, qui dolo fecit, complectatur. l. 4. §. 33. ff. de dol. except. & quod doli exceptio cum reliquis concurrat, l. 2. §. 5. ff. de dol. except. cum hæc à cæteris omnibus sit distincta. d. l. 4. §. 33.

33. Ponunt & hanc differentiam: quod regulariter adversus doli exceptionem non detur replicatio doli, d. l. 4. §. 13. metus autem exceptio, replicatione metus repellatur. l. 12. §. 1. ff. quod met. ca. Quod tamen hac ex lege satis probari mihi non videtur.

34. Neque hæc magis quàm doli illa in parentem patronum-ve competit. d. l. 4. §. ult. ff. de dol. except. fac. d. l. 4. §. 16. l. 14. §. 2. 13. ff. quod met. cau.

35. Huc pertinet quoque EXCEPTIO IN FACTUM: qua reus sese defendit, non, narrando judici factum, quod aliter sese habeat atq; ab actore sic dictum: (sic enim magis videtur negari intentio actoris, quàm exceptio objici.) sed dicendo, æquū esse sibi ex eo factō dari exceptionem. Haud secus atque actio in factum dicitur, quia narrat factum unde æquū sit dari actionem. l. 6. C. de transact. l. 11. ff. de dol. mal.

36. Cujus generis est exceptio, cum errorem suum reus præ- tendit. §. 1. Inst. h. t. l. 57. ff. de O & A.

37. Neque tamen ex errore tantum, sed aliis etiam ex causis multis hæc exceptio datur. l. 2. §. 5. l. 4. §. 32. ff. de dol. except. l. 14. l. 23. ff. h. t. l. 9. C. de non num. pec. l. 1. §. 4. ff. de superfic. l. 20. pr. vers. tunc enim in factum. ff. de interrog. in ju. fac. l. 14. §. 13. ff. quod met. ca. l. 27. ff. de constit. pec. l. 1. §. 4. ff. de except. rei vend. & trad. l. 4. ff. usufr. quem. cav. qualis etiam exceptio intelligi videtur in l. 6. §. ult. ff. naut. caup.

38. Quoties enim aliæ exceptiones proprium nomen ha- bentes deficiunt, toties hæc in factum subsidiaria, vel doli ge- neralis, dabitur. l. 4. §. 32 ff. de dol. except. l. 21. ff. de præscr. verb.

39. Peremptoria etiam est exceptio (quâ scil. exceptio est: Sicut præjudiciales actiones, quâ actiones sunt, sunt actiones in rem §. 13. Inst. de action.) illa, quæ Græcis ἡ τὴν ἀναγυγλασ πᾶσα γρηγορή, Latinis NON NUMERATÆ PECUNIÆ EXCEPTIO dicitur. de qua in tit. Inst. de lit. Obl. & §. 2. Inst. de Except. & tit. C. de non num. pec.

40. Est autem hæc non numeratæ pecuniæ allegatio non tantum exceptio, sed etiam actio quædā: & propterea in genere

B sape



387  
sepe appellatur querela vel querimonia l. 4. 8. 9. 10. 14. C. de non num.  
pec. vers. Sic fit. Inst. de lit. Obl.

41. Et omnino duplex est ejus consideratio, una in Creditore, alia in Debitore.

42. In creditore quidem, ut is pecuniam vel aliam rem sibi debitam depensam confessus, intra triginta dies querendi potestatem habeat, sibi solutum non esse, l. 14. pr. §. 2. C. de non num. pec.

43. Quo facto debitor, nisi solutionem probarit, condemnatur. quia in eo privilegiata est hæc querela, quod eam proponens nihil probare teneatur, sed contrarium parti adversæ demonstrandum relinquat. fac. l. 3. l. 14. C. d. t.

44. Post transactos autem triginta dies creditor ejusmodi non auditur, etiamsi vel maximè pecuniæ non solutæ probationem in se recipere velit. d. l. 14. §. 2. in fin.

45. Atque hoc procedit in quibuscunque causis, si tres securitatum species excipias: rerum depositarum, functionum publicarum, & dotis solutæ. d. l. 14 §. 1. 2.

46. Debitori succurrit hæc allegatio, si is vel inani stipulatione, vel chirographo vacuo, obligatus appareat. §. 2. Inst. h. t. vers. planè. Inst. de lit. Obl. l. 11. 13. & pass. C. de non num. pec.

47. Estque & tum privilegiata intra biennium in eo, quod sive in modum exceptionis, sive actionis, proponatur, allegans probationibus nullis oneretur, sed contrarium adversario demonstrandum reliquatur. l. 3. 10. 14. C. d. t. In quo & actionis naturam excedit: cum semper necessitas probandi incumbat ei qui agit. l. 21. ff. de probat. §. 4. in fin. Inst. de legat: & Exceptionis; cum in exceptione reus actoris partes sustineat, & exceptionem suam, perinde ut ille intentionem, probare debeat. l. 1. ff. h. t. l. 9. C. eod.

48. Post biennium verò hoc allegationis privilegium, expirat: quia eo temporis spatio literarum & verborum obligatio confirmata plenam probationem ex parte actoris adfert. t. Inst. de lit. Obl. l. 14. & pass. C. de non num. pec.

Arque

49. Atque hoc est quod *in d. t. Inst. de lit. Obl. vers. sic fit.* dicitur: Debitorem literis (quando sc. datum est chirographum: quando verò intervenit stipulatio, verbis) obligari tum, cum queri non potest. Quandiu enim queri potest, hoc est intra biennium, ex mutuo quidem seu numeratione pecuniæ obligatur, si videlicet creditor se verè pecuniam numerasse probet: literarum verò vel verborum obligationem indeque natam actionem, licet aliàs jure efficacem, §. 2. *Inst. h. t.* etiam sola allegatione hujus exceptionis inefficacem reddere potest: atque ita in potestate quasi habet, velit né literis vel verbis obligatus esse vel non. Quod in aliis exceptionibus secus est: quarum non tantum allegatio sed & probatio requiritur, *supr. th. 47.* ut actionem justam *pr. Inst. h. t.* & efficacem §. 1. 3. *cod. tit.* inefficacem constituent. *l. 1. C. si adv. cred. prascr. op. l. 13. ff. de ju. dot.*

50. Non tamen prohibebitur reus post biennium aliis exceptionibus, puta doli vel in factum, sese defendere, si manifestissimis probationibus, pecuniam sibi numeratam non esse, demonstrat. *l. 3. C. de non num. pec. l. 3. C. de cond. indeb. l. 5. C. de inutil. stip. §. 12. Inst. eod. tit. l. 4. §. 16. ff. de dol. except. l. 7. C. de non num. pec. junct. l. 156. ff. de R. l.*

51. Communiter sciendum, quod qui de non numerata pecunia querimoniam intra præstituta sibi tempora instituerit legitimè, privilegiatam exceptionem reddat perpetuam, *l. 14. §. ult. C. de non num. pec. l. 21. C. de episc. aud. t. Inst. de lit. Obl.*

52. Pæna autem temerè utentium hac exceptione privilegiata est, ut convicti in duplum condemnentur. *Nov. 18. c. 8.*

53. An verò renunciari ei possit, controvertitur. Et de facto illud fieri solere, video: cur non id etiam de jure fiat, non video.

54. Hujus quoque ordinis est **EXCEPTIO PACTI CONVENTI:** §. 9. *Inst. h. t. l. 3. ff. eod. l. 5. pr. ff. quib. mo. pig. vel hyp. sol. l. 5. C. de pact. l. 34. §. ult. ff. de solut.*

55. Quia enim pacta non omnino dissolvunt obligationes, §. 3. *Inst. h. t. l. 27. §. 2. ff. de pact.* & tamen iniquum esset, contra

B 2 pactio-

actionis fidem reum condemnari *d. §. 3.* ideo prætor, qui pacta servat, *l. 7 §. 7. ff. de pact.* exceptionem dat qua reus defendatur *d. §. 3.*

56. Sunt tamen quædam actiones quæ ipso jure per pactum tolluntur: ut actio furti, *l. 18 C. de donat.* & actio injuriarum, *l. 17. §. 1. ff. de pact.* quia lex 12 tabb. pacisci illis casibus permisit *l. 7. §. 14. ff. de pact. l. 17. §. 6. ff. de injur.*

57. Datur porrò exceptio, non modò ex pacto expresso: ut *l. 5. C. de pact. & pass. injure:* sed etiam ex pacto tacito: ut si creditor cui majores usuræ debebantur per aliquod tempus minores acceperit sciens. *l. 5. §. 8 C. de usur.*

58. Item si quis debitori reddiderit cautionem, videtur cum eo convenisse, ne peteret: profuturamque debitori conventionis exceptionem placuit. *l. 2. §. 1. ff. de pact.* Et quæ sunt hujus generis exempla plura alia.

59. Nec denego (quamvis id hodie multi magnis conatibus faciant) hanc exceptionem fidejussori ad certum tempus accepto: quia cum eo creditor videtur tacitè pactus, ne post tempus, creditum ejus periculo esset. *l. 72. ff. de fidejuss. l. ult. C. eod. tit.*

60. Quod si igitur creditor tempus non consentiente tali fidejussore prorogaverit debitori: & is interim desierit solvendo esse, non tenebitur fidejussor. *quod & notat Minsyng cent. 6. Obs. 53. n. 4. & Geil. 2. Obs. 30 n. 11.*

61. Sanè distinctio ejusdem Geilii inter diem adjectum solutioni, & diem adjectum obligationis limitandæ finiendæque gratia, ut verbis nova, ita nostro casu non est necessaria. Quæstio enim est non de adjectione ea, qua dies adjicitur quo pecunia solvatur: (quæ quidem etiam in jure nostro vocatur in diem *§. 2. Inst. de V. O.* propriè tamen ex die *l. 44. §. 1. ff. de O. & A.* quòd licet antea quoque ipso jure existat obligatio, tamen competat sine effectu, & demum ex die illo incipiat obligatio sive obligationis executio ut debitum peti possit, *d. §. 2. l. 213. ff. de V. S. d. l. 44. §. 1.*) Sed de ea, qua dies adjicitur in quem obligatio constituitur *d. l. 44. §. 1.* seu usque ad quem debeat *§. 3. Inst. de V. O.* Quæ propriè & in specie dicitur obligatio in diem *d. l. 44. §. 1.* vel usque in diem *l. 56. §. 4. ff. de V. O. l. ult. §. ult. ff. de assig. lib. seu usque ad diem. l. 3. ff. de procur.*

Ea-

62. Eademque exceptio generaliter in omnibus obligationibus in diem seu usque ad diem constitutis locum habet. d. l. 44. §. 1. ff. de O. & A. d. l. 56. §. 4. ff. de V. O. d. §. 3. Inst. eod. tit.

63. Atque hoc est quod fideiussorem tempore liberatum legimus in l. 29. §. ult. ff. mand. & in genere debitorem qui tempore liberaretur l. ult. ff. rat. rem hab. & creditorem qui litem tempore amiserit. l. 30. §. 1. ff. ad L. Aquil. cum aliis tempus per sese non sit modus tollendae obligationis arg. tit. Inst. quib. mo. tol. obl. & d. l. 44. §. 1. ff. de O. & A. & §. 3. Inst. eod.

64. Efficax est haec exceptio, etsi causa pacto nulla subsit, vel non exprimat: quia deficiente vel non expressa causa, donare voluisse creditor intelligitur. fac. l. 65. §. 2. ff. de cond. indeb. l. 47. ff. de Oper. lib. l. 53. ff. de R. I.

65. Hujus etiam classis est EXCEPTIO JURISJURANDI. l. 40. ff. de jurej.

66. Quamvis enim qui deferente creditore, nihil sese debere juravit, obligatus maneat post juramentum. §. 4. Inst. h. t. quia tamen iniquum est de rei jurantis perjurio quaeri in ea actione de qua juravit d. §. 4. ideo reus ex jurejurando suo exceptionem perpetuam habebit. d. §. 4. l. 9. §. 1. l. 40. ff. de jurej.

67. Idque non solum obtinet in actionibus quibus in personam, sed etiam quibus in rem agitur d. §. 4. Inst. h. t. usque adeo ut reus deferente actore jurans rem suam esse, non minus actionem acquirat l. 7. §. 7. ff. de public. l. 9. §. ult. l. 11. pr. §. 1. 2. ult. l. 13. §. 1. l. 25. ff. de jurej. atque is qui rem sibi deberi ita juravit. §. 11. Inst. de Action. d. l. 9. §. 1. l. 28. §. ult. ff. de jurej.

68. Sed & qui nihil sese debere juravit, actionem nonnunquam ex juramento illo consequitur: veluti si pignus possideat creditor. Potest enim directa pignoratitia actione agere ad reddendum sibi pignus, quippe quod juramento isto liberatum est. l. 40. ff. de jurej. l. 13. ff. quibus. mo. pig. vel. hyp. sol.

69. Atque hoc procedit etsi falsum forsitan reus juraverit d. §. 4. in fin. Inst. h. t. ita tamen ut nihilominus peculiari actione de perjurio agi possit. arg. l. 9. §. 2. l. 13. §. ult. ff. de jurej. l. 22. ff. de dolo. l. ult. ff. stellionat. l. 2. ult. C. de R. C. l. 2. C. ad l. Iul. maj.

70. Eadem quae in jurante, locum etiam habebunt in eo cui

B 3 remis-



181  
remissum est iuramentum cum jurare paratus esset. l. 9. §. 1. ff. de  
jurei.

71. Huc etiam refertur EXCEPTIO REI JUDICATAE. l.  
3. ff. h. t.

72. Licet enim quis absolutus fuerit iudicio, ipso tamen ju-  
re rursus conveniri poterit: §. 5. Inst. h. t. l. 9. pr. §. 1. l. 21. §. 3. ff. de  
except. rei. iud. defendetur autem exceptione rei iudicatae. d. §.  
5. Inst. h. t.

73. Obstat quippe hæc exceptio quotiescunq; eadem res de-  
nuò agitur, id est, cum idem est quod petitur, & eadem peten-  
di causa, eademque personarum conditio. l. 3. l. 7. pr. §. 1. 4. l. 11.  
l. 12. l. 13. l. 27. ff. de exc. rei. iud.

74. Idem peti intelligitur, sive totum sive pars, principale  
vel accessorium, auctum vel diminutum, conjunctim vel se-  
paratim petatur l. 7. l. 14. pr. ff. d. t.

75. Ubi tamen jus speciale in cæmentis & tignis observan-  
dum. d. l. 7. §. 2.

76. Et in petendis accessoriis, fructibus puta vel usuris, vi-  
dendum, utrùm ea debeantur jure actionis alicujus, an verò ex  
officio judicis: ut illic quidem non obstat hæc exceptio: l. 25. §. 1.  
ff. de R. V. hic verò obstat. arg. l. 4. C. de pos. l. 13. C. de usur.

77. Eadem causa petendi est quando in posteriori iudi-  
cio disceptandum venit illud, quod in primo iudicio per sen-  
tentiam fuit determinatum, etsi alia actione agatur. l. 3. l. 5. l. 7. §.  
3. 4. l. 11. §. 4. l. 25. §. 1. ff. de except. rei. iud.

78. Diversa tamen causa intelligitur si in posteriori iudicio  
non eadem quæ in priori exceptio possit objici l. 2. 9. pr. l. 17. 18.  
ff. d. t. l. 15. ff. de O. & A.

79. Eadem personæ sunt, non modò ipsi principales &  
horum successores cum universales tum particulares: sed ho-  
rum etiam nomine intervenientes, qui rem in iudicium de-  
ducunt. l. 59. ff. de R. L. l. 9. §. ult. l. 11. §. 7. ff. de except. rei. iud.

80. His namque non aliis res iudicata præjudicare debet.  
t. t. C. int. al. act. al. non noc. l. 63. ff. de re. iud. quæ & distinctionem  
quandam tradit.

Perti-

81. Pertinet quoque ad hunc ordinem **EXCEPTIO TRANSACTIONIS**, qua reus adversus actorem lites transactione finitas redintegrandem, utitur. *l. 17. 24. C. de transact.*

82. Neque enim transactio ipso jure actionem, tollit, *l. 14. 19. C. d. t.* sed tantum ope exceptionis *l. 17. C. eod.* nisi aquiliana stipulatio vel acceptilatio accesserit. *l. 4. C. eod.*

83. Recipit autem hæc exceptio eadem fere quæ præcedens *l. 20. C. de transact.* & tum objicienda est, cum ejusdem rei, ex eadem causa, inter easdem personas, instituitur petitio. *l. 9 § 1. ff. de transact. l. 135. §. ult. ff. de V. O. l. 2. C. int. al. act. al. non noc.*

84. Si ex falsis instrumentis transactiones initæ fuerint, quamvis jusjurandum interpositum sit, retractari eæ debent. *l. 42. C. de transact.* per restitutionem scilicet in integrum. *l. 33. ff. de re jud. junct. l. 20. C. d. t.*

85. Est etiam ex hoc ordine **EXCEPTIO DIVISIONIS**, qua fidejussor unus ex pluribus in solidum conventus desiderare potest, ut pro parte saltem in se detur actio. *§. 4. Inst. de fidejuss. l. 26. 28. ff. eod. l. 10. §. 1. C. eod.*

86. Nec interest, plurium fidejussorum unus purè alius in diem vel sub conditione acceptus sit. *l. 27. pr. ff. de fidejuss. sive principalis debitoris sive alius fidejussoris fidejussores sint. d. l. 27. §. ult. eodem an diversis temporibus intercesserint. ut colligitur ex d. l. 27. & l. 48. §. 1. ff. eod.*

87. Locum tamen non habet hæc exceptio si fidejussores à tutore pupillo dati sint. *l. ult. ff. rem pup. sal. vel conventi, fidejussores se esse negaverint, l. 10. §. 1. ff. de fidejuss. vel à duobus reis promittendi separatim dati sint l. 51. §. 2. ff. eod. vel obligatione exempti sint l. 48. ff. eod. vel non sint solvendo. l. 28. ff. eod. vel huic beneficio renunciarint. l. penult. C. de pact.*

88. Porrò exemplo fidejussorum correis quoque & tutoribus & curatoribus in solidum obligatis hæc exceptio datur. *Nov. 99. c. 1. l. 1. §. 10. ff. de tut. & rat. distr. l. 38. ff. de adm. tut.*

89. Hanc etiam ad classem spectat **EXCEPTIO LITIGIOSA**: quæ ei qui vel ex alienatione vel pignoratione rei legitiosa agit, objicitur. *l. 1. §. 1. ff. de litig. l. 2. C. eod. l. 1. §. 2. ff. quæ res pign.*

Est

281  
90. Est autem res Litigiosa de qua lis mota est: quod fieri censetur in realibus, adversario citato & proposita petitione. *auth. Litigiosa. C. de litig. Nov. 112. c. 1.* in personalibus verò, litis contestatione *l. 2. C. de litigof.*

91. Ei tamen qui dotis, vel ante nuptias donationis, vel transactionis, aut divisionis rerum hereditariarum factæ nomine, vel per legati aut fideicommissi causam, rem litigiosam acceperit, non obstabit hæc exceptio. *l. ult. §. ult. C. d. t. d. Nov. 112. c. 1.*

92. Hujus quoque naturæ est EXCEPTIO REI VENDITÆ ET TRADITÆ: qua vel ipse venditor vel ejus successor contra venditionem veniens, repellitur. *t. t. ff. de exc. rei vend. & trad.*

93. Item EXCEPTIO MODERATÆ SEU INCULPATÆ TUTELÆ: qua sese defendit is, qui vim vi propulsavit. *l. 3. ff. de just. & ju.*

94. Refertur etiam huc EXCEPTIO SC. VELLEJANI qua mulieri intercedenti, h. e. vel se vel res suas pro alio obliganti succurritur. *t. t. ff. & C. ad SC. Vellej.*

95. Sese obligat mulier vel obligationem alienam in sese transferendo, per novationem scil: vel eandem in sese suscipiendo; fidejubendo, sc. mandando, constituendo: vel deniq; solum sese ream pro alio qui obligari debebat & ad quem contractus pertinebat constituendo. *l. 1. 4. C. ad SC. Vellej. l. ult. C. de constit. pec. l. 8. §. 14. ff. ad SC. Vellej.*

96. Et potest etiam mulieris fidejubentis fidejussor alius, quemadmodum & fidejubere mandantis mandatarius, eadem exceptione uti. *l. 14. C. ad SC. Vellej. l. 6. ff. eod.*

97. Planè si mulier pro creditore suo sese alii obliget, SCti auxilium non habet *l. 2. C. d. t.*

98. In rerum etiam mulieris obligationibus eadem illa exceptio admittitur. *l. 4. C. d. t.* quod intelligendum est si ipsa mulier siue alius rem mulieris obligarit.

99. Hinc *inl. 5. C. d. t.* traditur, quod res mulieris à marito pignori data non teneantur, nisi mulier consenserit & creditor nescierit rem illam mulieris esse.

Quin

100. Quin tamen remissio pignoris vel hypothecæ à muliere, marito, vel alii creditori facta valeat, dubium non est. *l. 11. 21. C. d. t. sive maritus solvendo sit sive non.*

101. Denique renunciari huic exceptioni potest. *l. 2. § 2. ff. ad SC. Vellej. cum l. 29. C. de pact. l. 31. l. ult. §. 4. ff. ad SC. Vellej. l. ult. C. quand. mul. off. tut. fun. pot. Nov. 94. c. 2.*

102. Eiusdem naturæ est **EXCEPTIO SC. MACEDONIANI**, quæ parentibus, item fidejussoribus & mandatoribus filii, & ipsi etiam filio, horumque successoribus datur, adversus creditorem, qui mutuas pecunias in potestate constituto dedit. *l. 1. l. 9. & pass. ff. de SC. Maced. t. t. C. eod.*

103. Nec potest filiusfam. huic exceptioni renunciare. *fac. l. 1. l. 9. §. ult. ff. d. t.*

104. His annumerari etiam possunt eæ defensiones, quæ quoniam ipso jure reum liberant & agentes potius quam ipsam actionem excludunt, quasi exceptiones dicendæ videntur. *exemplo §. 2. Inst. de obligat. ut sunt:*

105. **EXCEPTIO SOLUTIONIS**. Hac enim omnis obligatio solvitur *pr. Inst. quib. mod. tol. obl. & quidem naturaliter. l. 107. ff. de solut. & omni actione debitor liberatur l. 1. §. 36. ff. de pos. & omnes liberantur l. 36. ff. de fidej. & mand.*

106. **EXCEPTIO ACCEPTILATIONIS**. Est enim hæc imaginaria solutio, *§. 1. Inst. quib. mod. tol. obl. & exemplo solutio- nis liberat. l. 5. ff. de acceptilat. civiliter. l. 107. ff. de solut. & facit ut à jure pristinæ obligationis abeat. l. 24. ff. de mort. ca. donat.*

107. Quæ vera sunt de verborum saltem obligatione: *d. §. 1. Inst. quib. mo. toll. obl. l. 8. §. 3. ff. de acceptil.*

108. Quod si tamen quis acceptum tulerit, quod non debetur ex verborum obligatione, tum non quidem ipso jure, sed tamen per exceptionem tutus erit debitor. *l. 8. pr. l. 19. ff. d. t.*

109. **EXCEPTIO NOVATIONIS**: quæ est debiti prioris in posteriorem obligationem sive civilem sive naturalem transfusio atq; translatio: ita ut peremptam priorem nova excipiat. *§. 3. Inst. quib. mo. tol. obl. l. 1. pr. l. 9. pr. ff. de novat. & deleg. l. 2. C. eod.*

110. Cujus duæ sunt species: Una Delegatio, quæ fit inter-  
C
ventu

ventu novæ personæ, & tam delegantis & delegati debitorum, quàm creditoris cui delegatur, consensum; & inter delegatum quidem & cum cui delegatur stipulationem vel litis contestationem requirit. *l. 8. §. ult. l. 11. ff. de Novat. & deleg. l. 1. 6. C. eod. utrunq; delegantis scriptura vel nutus sufficiat. l. 17. ff. d. 1.*

111. Altera Novatio in specie dicta; quæ fit vel interventu novæ personæ non debitoris pro alio debitore promittentis: § 3. *Inst. quib. mo. tol. obl.* quo casu etiam nolens debitor liberatur. *l. 8. §. ult. ff. de Nov. & deleg. l. 91. ff. de solut. vel citra interventum novæ personæ, cum in stipulatione posteriore mutatio aliqua intercedit: modò expressè adjiciatur, novandi causa stipulationem interponi. §. 3. *Inst. d. 1. l. ult. C. de Novat. l. 2. l. 8. §. 2. ff. eod.**

112. EXCEPTIO COMPENSATIONIS: quæ est debiti & crediti inter se contributio sive collatio. *l. 1. ff. de compensat. & ipso jure actionem minuit §. 30. *Inst. de Action. l. ult. pr. C. de compensat. modò aperto jure nitatur d. l. ult. §. 1.**

113. Et locum habet in omnibus actionibus, *d. §. 30. d. l. ult. pr.* etiam penalibus, modò agatur pecuniariè *l. 10. §. 2. ff. de compensat. & causis fiscalibus l. 12. ff. eod. l. 1. 7. C. eod. l. 46. §. 5. ff. de ju. fisc. solâ depositi actione exceptâ. d. §. 30. d. l. ult. §. 1.*

114. Idq; primariò & per se in iis actionibus in quibus quantitas aut res fungibilis petitur: secundariò verò & propter aliud, æstimationem scilicet, in iis quibus rem certam sive certum corpus persequimur. *exemplo l. 10. pr. ff. de compensat.*

115. EXCEPTIO CONFUSIONIS: quæ & ipsa est civilis modus solvendæ obligationis *l. 107. ff. de solut. & debiti petitionem extinguit. l. 5. C. de hered. act.*

116. Intelligitur autem confusio tum, cum in eandem personam jus debitoris & creditoris devenit. *d. l. 107. ff. de solut.*

117. EXCEPTIO USUCAPIONIS: quæ petitorum excludit ideò, quòd reo convento dominium, per continuationem possessionis temporis à lege definiti, sit adjectum *l. 3. ff. de usurp. & usucap.*

118. EXCEPTIO SIVE PRÆSCRIPTIO TEMPORIS, quæ agentem propterea excludit, quòd debito tempore non egit. *l. 1. §. 1. ff.*

187  
t. t. ff. de div. temp. prescr. & t. t. C. de prescript. 30. vel 40. an. item de annal. except.

119. EXCEPTIO quoque CESSIONIS, etsi diverso respectu tùm peremptoria tùm dilatoria esse possit; tamen cum plerumq; condemnationem respiciat, huc referenda potius mihi videtur, quàm in Dilatoriarum catalogum. Hac autem se defendit is qui bonis cessit, tùm adversus eos quibus cessit, tùm alios postea agentes. l. 4. ff. de cess. bon. l. 17. pr. ff. de recept. s. ult. Inf. de replicat.

120. TEMPORALES ET DILATORIE exceptiones sunt, quæ ad tempus nocent, & temporis dilationē tribuunt. §. 10. Inst. h. t. quæ differunt actionem, & quibus reus litem non prorsus inficiatur, sed tantùm ad tempus evitat: l. 2. s. ult. ff. h. t. quæ non semper locum habent, sed evitari possunt. l. 3. ff. h. t.

121. Et hæc rursus sunt duplices: aliæ enim sunt ex re & causa; aliæ verò ex persona. fac. §. ult. Inst. h. t. disertè Theoph. ibid. τῶν δὲ διαφορῶν παραγραφῶν αἱ μὲν ἀπὸ πράγματος, αἱ δὲ ἀπὸ προσώπου ἀναφύονται.

122. Ex re & causa sunt eæ, quæ inhærent ipsi actioni, & faciunt ut actor ante tempus egisse dicatur.

123. Cujusmodi est EXCEPTIO PACTI NE INTRA CERTUM TEMPUS AGATUR. §. 10. Inst. h. t. l. 3. ff. h. t. l. 27. §. 1. ff. de pact. l. 56. §. 4. ff. de V. O.

124. Adjicitur autem tempus vel expressè, ut in d. §. 10. d. l. 3. vel tacitè: ut in l. 57. pr. ff. de pact. l. 2. §. 6. ff. de dol. except. & omnibus pactis personalibus d. l. 57. §. 1. itemq; iis obligationibus, quibus dies, conditio, vel locus est adjectus §. 2. 4. 5. Inst. de V. O.

125. Aliquando etiam ipsa natura rei vel obligationis inducias continet. d. §. 10. Inst. h. t. l. 73. ff. de V. O.

126. Talis quoq; exceptio est, PRÆSCRIPTIO MORATORIA: si debitori solvendi dilatio ad aliquod tempus rescripto principis est indulta. l. 2. C. de prec. Imp. off.

127. Cujusmodi tamen rescriptum non aliter valet, quàm si fidejussio idonea de debito solvendo præstetur. l. 4. C. d. t.

187  
128. Ex persona exceptiones dilatoriæ sunt, quæ præcedunt actionem & in constituendo iudicio considerari solent: & sumuntur ut plurimum ex personis ad iudicium necessariis.

129. Unde etiam constat, has non verè, sed *omnibus* saltem exceptiones esse. *arg. l. 2. pr. l. 22. pr. ff. h. t.*

130. Huiusmodi sunt: EXCEPTIO PROCURATORIA, si vitium aliquod sit in procuratione, ratione vel mandantis sive domini; vel mandatarii sive procuratoris; vel mandati; vel deniq; ipsius causæ. *l. 19. §. 2. ff. de probat. fac. l. 5. pr. ff. mandati. l. 5. ff. de pop. act.*

131. Sic causæ intuitu excipitur adversus procuratorem in iudiciis publicis, *l. 13. §. ult. ff. de publ. jud.* itemq; privatis iis quæ criminalia sunt. *l. 1. ff. an per. al. ca. appel.*

132. EXCEPTIO LEGITIMATIONIS: quæ locum habet adversus eos, qui vel ob pueritiam, vel sexum, vel casum postulare prohibentur. *l. 1. §. 3. §. 8. ff. de postul.*

133. Quæ exceptio valde est necessaria: quia aliàs iudicium est nullum, si persona non possit stare in iudicio. *l. 1. C. qui leg. pers. stand. in jud.*

134. EXCEPTIO JUDICIS SUSPECTI, qui, antequam lis inchoetur, recusari potest; *l. 16. C. de judic.* sive ordinarius sive delegatus ille fuerit: *d. l. 16. ut & l. 12. C. d. t. Nov. 96. c. 2.*

135. PRÆSCRIPTIO FORI: qua forum declinatur incompetens respectu vel iudicis, vel rei conventi, vel ipsius causæ: *fac. l. ult. ff. de jurisd. l. 19. §. 1. ult. ff. de judic. & c.*

136. Cui exceptioni quin renunciari possit, non est dubium. *l. 29. C. de pact. l. 51. ff. de judic.*

137. Id quod factum intelligitur etiam tum, cum quis in loco quo forum non sortiebatur, solvere cepit. *l. 50. §. ult. ff. de judic.*

138. EXCEPTIO PRÆVENTIONIS, quæ reus, ad aliquem competentium iudicum legitime vocatus, neq; tregis versatus, actori causam ad alium iudicem trahenti occurrit. *fac. l. 30. ff. de judic.*

139. Quemadmodum eodem modo actor de lite pendente replicat

replicat, si reus pendente iudicio alterius fori esse ceperit ideo-  
que fori præscriptione utatur. *l. 7. ff. d. t.*

140. EXCEPTIO LOGI NON TUTI: qua utitur reus insinuando  
iudici per epistolam aut alio quovis modo justum terrorem, ex  
periculis sibi vel in loco iudicii, vel per quem transire cogere-  
tur, imminentibus. *fac. l. 3. ff. ex quib. ca. maj. c. ex parte. 47. de appellat.*

141. EXCEPTIO TERMINI ANGUSTI; quæ locum ha-  
bet, cum tempus (quod arbitrio iudicis committitur. *l. 72. ff. de iudic. l. 2. ff. de re iud.*) adeò breve in jus vocat præscribitur, ut  
eo comparitio & præparatio defensionis, vel non, vel difficul-  
ter admodum fieri possit.

142. EXCEPTIO FERIARUM, competens citato ad diem  
feriatum ejus loci ubi iudicium agitur. *l. 6. ff. de fer. & dilat.*

143. Quæ exceptio etiam quod ad ferias indictas attinet,  
omnibus competit, licet in messibus fortè aut vindemiis non  
occupatis. *arg. l. 1. pr. ff. de feriis. & l. 25. ff. de legib.*

144. EXCEPTIO IMPEDIMENTI, quæ se excusat is qui re  
aliqua justa & probata impeditus in termino comparere ne-  
quit. *l. 2. §. 3. ff. si quis caut. l. 1. ff. de div. temp. præscr. l. 60. ff. de re iud.*

145. EXCEPTIO PRÆJUDICIALIS: qua reus actorem  
removet, dicendo, præjudicium per actionem ab adversario  
institutam principali fieri non debere. *l. 16. 18. ff. h. t.*

146. EXCEPTIO CONTINENTIÆ NON DIVIDENDÆ:  
quæ obstat actori, ne, quod in uno eodemque iudicio poterat  
terminari, apud diversos iudices ventilet. *l. 10. C. de iud.*

147. EXCEPTIO EXCUSIONIS: qua utitur fidejussor, ne  
ante principalem; item rem debitoris possidens, ne ante prin-  
cipalem aut etiam fidejussorem excussum, conveniatur. *Nov. 4.  
c. 1. & 2.*

148. EXCEPTIO ORDINIS: quæ vult, ne tutor ex facto  
contutoris ante hunc ipsum ejusque successores conveniatur. *l.  
ult. C. de divid. tut.*

149. EXCEPTIO quoque INEPTI LIBELLI huc refer-  
tur: cujus usus est, si libellus nullam vel malam habeat conse-  
quentiam *l. 2. C. de form. & impetr. act. subl. obscurus sit l. 6. ff. de R. V.  
l. 1. §. 40. ff. depos. ineptam contineat actionum cumulationem.  
l. 43. ff. de R. l. l. 1. §. 4. ff. quod legator.*

G 5 Qua-

150. Qualescunque autem sint Exceptiones, ex æquitate naturali proficiscuntur. *fac. pr. Inst. h. t. l. 1. §. 1. ff. de dol. except. à jure verò civili recipiuntur & approbantur. §. 7. Inst. h. t. l. 40. ff. de cond. indeb.*

151. Et solent reales exceptiones accommodari non modò auctori & principali, sed & successoribus ejus & fidejussori. *l. 7. §. 1. l. 19. ff. h. t. l. 9 §. ult. l. 28. ff. de exc. rei judic. §. ult. Inst. de Repl.*

152. Secus se res habet in personalibus. *d. l. 7. pr. ff. h. t. d. §. ult. Inst. de replicat.*

153. Versantur verò exceptiones circa actionem vel actorem, quibus illæ opponuntur. *l. 2. pr. §. 2 ff. h. t.*

154. Et objici possunt etiam successoribus. *l. 6. ff. h. t. l. 1. 2. C. eod.*

155. Existentes ex jure cujusq; proprio, non tertii alicujus. *fac. l. 4 §. 7. ff. si serv. vind. l. 8. §. 1. C. de præscr. 30. vel 40. an.*

156. Proponendæ autem sunt exceptiones à reo. *l. 2. pr. ff. h. t. quia j. index eas non supplet, nisi ex actis eæ appareant.*

157. Et olim quidem proponebantur conditionaliter. *pr. Inst. de replicat. fac. l. 22. pr. ff. h. t.*

158. Hodie verò certam formam nullam habent: sed quibuscunq; verbis, scripto vel sine scripto proponi possunt. *fac. l. 48. ff. de procurat. l. 25. ff. de act. empt. l. 13. §. 10. ff. de excusat. tut.*

159. Et potest quis pluribus exceptionibus uti, quamvis sint diversæ. *l. 5. §. 8. ff. h. t. nisi lex impediatur. l. 43. ff. de R. I. exemplo Nov. 18. c. 8. vers. si quis autem.*

160. Proponi autem debent exceptiones in loco judicii. *c. 12. X. de probat.*

161. Et peremptoriæ quidem olim in bonæ fidei judiciis post litem contestatam & ante sententiam latam semper proponi & probari potuerunt: etsi in formula actionis comprehensæ non fuerint. *fac. l. 3. ff. de rescind. vend. l. 2. §. 5. ff. de dol. except. junctà l. 9. §. 1. ff. de distr. pign. in cæteris verò judiciis quæ non sunt bonæ fidei, id fieri aliter non potuit quàm si initiò actionis formulæ fuerint inclusæ. l. 9. C. h. t.*

162. Hodie tamen distinctio ista ferè negligitur.

163. Post sententiam autem opponi exceptiones non possunt. *arg. l. 1. C. de ju. & fact. ignor. l. 2. C. sent. resc. non pos. exceptis non-*

nonnullis l. 11. ff. de SC. Maced. l. 17. §. ult. ff. sol. matr. l. 33. pr. ff. de do-  
nat. l. 59. §. 3. ff. mandati. l. 24. C. de procurat.

164. Dilatoriarum verò exceptionum eæ quæ ex causa oriun-  
tur proponi debent tempore litis contestatæ, post litem ramen  
contestatam examinari possunt. §. 10. Inst. h. t. l. 19. C. de probat. quæ  
autem ex persona sunt, in litis exordio proponi & examinari  
debent. l. 12. §. ult. C. h. t. nisi causa ex qua ejusmodi dilatoria da-  
tur, post litem contestatam supervenerit. fac. l. 23. §. 3. ff. de cond.  
indeb. aut retrò judicium reddat nullum. l. 24. C. de procurat.

165. Comparatæ porrò sunt omnes exceptiones ad hoc, ut  
reorum sint defensiones. pr. Inst. h. t.

166. Efficiuntq; ut, probatæ ubi fuerint, reus absolvatur;  
impugnata quippe & exclusa actione; §. 1. Inst. h. t. l. 2. pr. ff. eod.  
vel dimittatur, excluso actore. d. l. 2. §. 2. c. olim. 7. X. h. t.

167. Et quia exceptiones perpetuæ & peremptoriæ faciunt,  
ut qui iis repelli possunt creditores non sint: l. 10. ff. de V. S. ideo  
eædem etiam soluti repetitionem pariüt l. 26. §. 3. 7. l. 34. §. ult. ff.  
de solut. observatâ tamen distinctione l. 40. ff. de cond. indeb. l. 6. §. 4.  
ff. de SC. Maced.

168. An verò earum objectione litis fiat contestatio, non est  
expeditum: requiritamen videtur ulterius ut affirmativè aut  
negativè reus respondeat & disertis verbis litem contestetur.  
fac. c. un. X. de lit. contest. l. un. C. eod. l. 9. ff. h. t.

169. Affines maximè exceptionibus sunt Duplicationses,  
Quadruplicationses &c. §. 1. Inst. de replicat. l. 2. §. 2. ff. h. t. Contra-  
riæ Replicationes, Triplicationes &c. pr. Inst. d. t. d. l. 2. §. 1. & seqq.

170. Non etiam contraria iis est præscriptio. fac. l. 5. §. ult. ff. de  
dol. except.

171. Quod verum est, nisi exceptio etiam per formam agen-  
di vel per implorationem officii judicis proponi possit: exem-  
plo exceptionis non numeratæ pecuniæ. l. 14. pr. C. de non num. pec.

*Atq; hæc pro presenti disputatione de  
Exceptionibus sufficiant.*

Laus D E O.

✠ (: ) ✠



281



Strapberg, Diss., 1693-22

ULB Halle


3

005 303 01X



V17





Farbkarte #13

B.I.G.



ATIO  
ONIBUS:

EO, 1613, 6.  
toratensium

ET CON-  
Dn. CASPARO  
PROFESSORE  
Visitatore & Syn-  
tore & promo-  
obser-  
lo;

ca proponit,  
rio,

LOCAMERUS

s.

ATI,  
CAROLI.  
XIII.

